

tionem commiserint, pœnis contra Simoniacos editis, teneri decernit.  
 15. In quintodecimo determinat, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatisque Insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt Præbendæ unâ cum distributionibus quotidianis, licere utique Episcopis cum consensu capituli ipsas augere præbendas unione quorundam aliorum beneficiorum; aut Patronorum consensu quarundam præbendarum fiat tanta suppressio, quæ non officiat divino cultui celebrando, & dignitati Ecclesiæ commodè valeat correspondere.

16. In decimosexto decernit, quod Capitulum, Sede Vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, æconomum unum, aut plures constituat, ut de iis curam gerat. Similiter Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi designare, vel existentem confirmare, omninò teneantur.

17. In decimosextimo statuit, singula singulis personis conferenda beneficia ecclesiastica, etiam si Cardinalatis honore fulgeant. Obtenenti tamen beneficium insufficienti, conferri posse aliud simplex, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat. Habentes plures Parochias, cogendos omninò, unâ tantum retentâ, alias dimittere.

18. In decimo octavo providet, quod dum Parochialis Ecclesiæ vacatio contingit, fiat examen per concursum, præmissis edictis, ubi qualitates eorum, qui debent examinare, & examinari describuntur. Si Ecclesia fuerit juris patronatus Ecclesiastici, & institutio pertineat ad Episcopum, quædam erunt strictius observanda, quàm si Ecclesia juris patronatus laicorum fuerit. Alia scitu digna hoc præcontinet capitulum.

19. In decimonono præcipit, Expectativis hætenus concessis, uti nulli licitum fore, etiam sub nomine indulti, aut alio quovis colore oblati. Reservationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura nulli concedantur, & hucusque concessæ abrogatæ censeantur.

20. In vigesimo præmittit, causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, in primâ instantiâ coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscendas; atque omninò, saltem infra biennium à die excitatæ litis terminandas, ex quo licebit ad alium judicem appellare, imò & ante alioque in casu. Causas matrimoniales, & criminales solum Episcopum cognosciturum, etiam dum controversitur de hujusmodi causæ cognitione. Legatos de latere, non processuros contra Clericos, aliasve Personas Ecclesiasticas, nisi prius Episcopo requisiti, & negligente.

21. In vigesimo primo & ultimo hujus sessionis Capite, quædam duntaxat verba declarat, quæ in legentium, audientiumque animum

du-

dubitationem aliquam ingerere poterant, super verbis decreti Pii IV. Sess. 1. sub hoc celebratâ Pontifice, publicati.

## SESSIO VIGESIMA QUINTA.

1. Vigesima quinta Sessio, quæ ultima sub Pio IV. celebrata appareret, dieque tertiâ incepta, absolutaque quartâ Decembris die anno 1563. primò continet duplex decretum de Purgatorii existentia, & invocatione, veneratione, reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus. Secundo, aliud de Regularium, Monialiumque reformatione in 22. partitum Capita, exambit decretum. Tertio, de Ecclesiastici status reformatione aliud adducit in alia viginti, & unum divisum Capita decretum.

2. Quarto, septem alia post Sessionis continuationem proponit decreta. Tandem, Patrum acclamationes in fine Concilii, eorum syngrapha, ejusdemque Concilii confirmationem refert. Decretum igitur de Purgatorio, ejus existentiam statuit ex sacris litteris, & antiquâ Patrum traditione; & quod Fidelium animæ ibi detentæ, suffragiis vivorum, præsertim Sacrificio Altaris juvantur. Quod Episcopi diligenter studeant, ut sana de Purgatorio doctrina à Conciliis tradita, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari, eliminatis quæstionibus subtilioribus, quæ ad ædificationem non faciunt.

3. Decretum aliud comprehendit quidquid ad invocationem, & intercessionem Sanctorum, Reliquiarum, Cultum & honorem, necnon legitimum Sanctarum Imaginum usum spectat. Nemini licet ullo in loco aliquam insolitam collocare Imaginem, neque nova admittere miracula; aut novas reliquias recipere, nisi ex Episcopi approbatione, & consensu.

## DECRETUM DE REGULARIBUS, ET MONIALIBUS IN 22. dissectum Capita.

1. PRIMUM sanctissimè hortatur Regulares omnes, tan viros, quàm mulieres, ad Regulæ observantiam, quam professi sunt, præscriptumque vitam instituant, & componant.

2. Secundum monet Regulares utriusque sexûs nihil habere proprii, & usum moviliam à Superioribus convenientem permitti. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activâ, & passivâ voce privatus sit.

3. Tertium statuit, quod omnes Conventus, seu Mendicantium Monasteria (Minoribus Fratibus S. Francisci de Observantiâ, & Ca-

Tem. V.

Pp

puç



puccinis exceptis) possint retinere, & possidere bona immobilia. In omnibus Monasteriis tam virorum, quam mulierum constituatur numerus, qui ex redditibus propriis Monasteriis, vel ex consuetis elemosynis commodè sustentari possit. In posterum similia non erigantur loca, nisi de Episcopi licentiâ prius obtentâ.

4. Quartum prohibet, ne quis Regularis sine Superioris licentiâ, prædicationis, vel lectionis, aut cuiusvis piis operis prætextu subiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, &c. Nec liceat ipsis Regularibus à suis recedere Conventibus, etiam titulo Superiores suos adveniendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint.

5. Quintum jubet, Monialium clausuram servandam, restituentamque ubi violata fuerit; & nemini ipsarum post professionem licere exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex aliquâ legitimâ causâ ab Episcopo, aut Superiore approbandâ, sub excommunicationis pœnâ. Monialium Conventus, extra Urbium mœnia existentes, intra oppida reducendos, si Episcopis, aliisque Superioribus ita expedire videbitur.

6. Sextum determinat, in quoruncunque Superiorum electione, ut absque fraude ullâ, rectèque procedatur, electiones cunctas per vota secreta perficiendas, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur; aliâs electio nulla sit.

7. Septimum ordinat, quod Monialium Superior eligatur non minor quadraginta annis, & quæ post octo Professionis laudabiliter vixerit; & si talis non inveniatur in Conventu, eligatur ex alio ejusdem ordinis; vel ex eodem Monasterio una assumatur, quæ trigessimum annum excesserit, & quinque saltem post Professionem rectè vixerit annis Duobus verò Monasteriis nulla præficiatur. Qui electioni earum præest, claustra Monasterii non ingrediatur.

8. Octavum præcipit, Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, deputatura Personas quolibet triennio, quæ liberè statuunt, deliberent, ac visitent, & si in his negligentes fuerint, suppleturum Metropolitanum Provinciæ in quâ prædicta Monasteria vigent.

9. Nonum constituit, quod Monasteria sanctimonialium Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, ab Episcopis, locorum guvernentur; quæ verò à Regularibus reguntur, sub eorum curâ, & custodiâ relinquuntur.

10. Decimum admonet, Moniales saltem semel singulis mensibus confiteri, & sacram Eucharistiam suscipere. Similiter bis, aut ter in anno, ab Episcopo, vel Superioribus offerri ipsis extraordinarium Con-

fes-

fessorem. Intra chorum, aut Monasterii septa non servetur Sanctissimum Christi Domini Corpus, sed in publicâ Ecclesiâ.

11. Undecimum constituit, quod Personæ sæculares, seu Regulares exercentes Curam animarum Personarum sæcularium imminentem in Monasteriis virorum, seu mulierum, subjectæ sint visitationi, & correctioni Episcoporum, in quorum Diocesisibus sunt sita, excepto Monasterio Cluniacensi, & aliis, de quibus hic, fit mentio.

12. Duodecimum diffinit, Regulares in suis Ecclesiis publicare, & servare debere censuras, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed promulgata etiam mandante Episcopo. Dies festos præceptos ab Episcopo, per Regulares etiam servandos præmittit.

13. Tertiumdecimum exprimit, quod lites, controversiasque omnes de præcedentiâ inter Regulares, locorum Episcopi componant, omni appellatione eliminatâ. Et vocati ad Processiones, accedant omnes, etiam exempti Clerici tam sæculares, quam Regulares, his tantum exceptis, qui in strictiori clausurâ perpetuò spatium vitæ decurrunt.

14. Quartumdecimum statuit, Regularem non subditum Episcopo, intra claustra Monasterii degentem, & extra ea de inquentem, si à Superiore, instante Episcopo, non puniatur, posse ab ipso Episcopo puniri.

15. Quintumdecimum decernit, quod professio à Regularibus, tam viris, quam mulieribus, non fiat ante decimum sextum annum expletum, & post annum suscepti habitus, aliâs professio nullum effectum, obligationemque fortiatur.

16. Sextumdecimum declarat, renuntiationem, aut obligationem non posse fieri à Novitiis, etiam favore causa piæ, nisi de Episcopi, vel ejus Vicarii licentiâ. Expleto novitiatus tempore, superiores admittant Novitios ad professionem, vel eos à Monasterio dejiciant, quibus omnia, quæ Monasterio ante professionem dederunt, restituantur.

17. Decimumseptimum animadvertit, quod puellæ Regularem habitum suscipere volentes, sint majores duodecim annis, & examinentur ab Ordinario, sicut & ante professionis emissionem. Exinde Monasterio præfecta teneatur certiorum facere Episcopum ante mensem finiti novitiatus, aliter ab officio sit suspensa, quandiu Episcopo videatur.

18. Hujusmodi differit decimumoctavum: Quicumque cogentes puellam, viduam, aut quancunque mulierem ad ingrediendum Monasterium emittendam professionem, anathematizantur, etiamque ad id favorem, & consilium dantes, & quoquomodo eidem actui consen-

tien-



tientes. Excipiuntur casus juris, mulieresque poenitentes, aut *conver-*  
*tita* appellata, respectu quarum constitutiones earum servantur.

19. Decimumnonum indicit, quod si Regularis pretendat, se per  
vim, & metum ingressum esse Religionem, aut ante etatem debitam  
professum fuisse, velitque habitum dimittere, quacunque de causa, non  
audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, coram  
Superiore suo, & Ordinario causas deduxerit. Nemo etiam Regularis,  
cujuscunque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem.

20. Praecipit vigesimum, Abbates, qui sunt Ordinum Capita, ac  
caeteros Superiores Ordinum, Episcopis non subjectos, visitare teneri  
Monasteria, & Ecclesias sibi creditas.

21. Vigesimalimum primum stabilit, quod Monasteria Abbatia, Prio-  
ratus, & praepositura provideantur de personis Regularibus, qui vitam  
Monasticam, & Regularem observari faciant, habitumque suscipere,  
professionemque solemniter emittere cogantur, alias Commenda praedi-  
cta ipso jure vacare censeantur.

22. Vigesimalimum secundum concludit, decreta hujus Tridentini  
Concilii a Regularibus & Monialibus observanda in omnibus Coeno-  
viis, Monasteriis, & Collegiis quoruncunque Regularium, tam viro-  
rum, quam mulierum, non obstantibus quibuscunque privilegiis; &  
curam incumbere Episcopis, & aliis Praelatis, & Superioribus.

#### DECRETUM DE REFORMATIONE IN 21. PARTITUM Capita.

1. **I**n primo injungit Episcopis, fructus suarum Ecclesiarum, non  
con sanguineis, & familiaribus, sed pauperibus distribuendos.  
Quibus vivendi forma in hoc traditur decreto.

2. In secundo hortatur Patriarchas, Primates, Archi-Episcopos,  
Episcopos, aliosque Superiores Praelatos dare operam, ut decreta Con-  
cilii ab ipsis, suisque subditis recipiantur, & observentur; & negligentes  
ad Papam denuncientur. Et praefatos Superiores curare, ut in om-  
nibus locis, & praesertim in Universitatibus doctrinam in ipsis conten-  
tam Doctores docere, & interpretari, praecipue quoad fidei professio-  
nem emittendam.

3. In tertio docet, quod cum excommunicationum gladius nervus  
sit Ecclesiastica disciplina, non facile sunt decernenda, aut conceden-  
da, sed ex gravioribus causis, & magna circumspectione. Excommunica-  
ti si per annum inforderint, etiam contra eos, tanquam de haeresi sus-  
pectos, procedi posse.

4. Statuit in quarto, Episcopos, Praelatos, Superioresque Ecclesia-  
rum curare in suis Ecclesiis, ut Missa celebrentur, aut saltem commem-  
orationes pro defunctis, qui legata fecerunt, pro illorum animam  
fiant, eo meliori modo, quo ipsis videbitur, providentes, ne defuncto-  
rum animae suis defraudentur suffragiis.

5. In quinto praemittit, beneficia ad aliquod munus constituta,  
conferenda personis idoneis, nec in collatione derogandum oneribus,  
vel muneribus jam constitutis quoquo modo, sed omni diligentia ob-  
servandum. Idipsum in praebendis Theologalibus, Magistralibus, Do-  
ctoralibus, &c. tenendum.

6. Decernit in sexto, quod Episcopi in visitatione, & in causis cog-  
noscendis assumant duos ex Capitulo, per Capitulum eligendos. Quoad  
bet anno, qui secum causas cognoscant, usque ad eorum finem. Quoad  
vota vero illorum, & quando possit Episcopus solus in his procedere  
causis, plura scitu digna decretum continet. Episcopis in Choro, Ca-  
pitulo, Processionibus, aliisque actibus publicis sit prima Sedes, &  
locus.

7. In septimo determinat, in beneficiis Ecclesiasticis accessum, &  
regressum omnino tollendos. Coadjutorias cum futura successione non  
dandas, nisi ex causa prius diligenter a Summo Pontifice cognita, &  
qualitatibus omnibus concurrentibus in Coadjutoribus, quae in de-  
cretis praesentis Synodi apponuntur.

8. Suadet in octavo, quod in hospitalibus hospitalitas exerceatur;  
& ubi ob Peregrinorum penuriam exerceri non poterit, in casu illi de-  
stinati ad hospitalitatem applicentur alicui operatio, nisi aliter in fun-  
datione statutum fuerit.

9. In nono constituit, in patronatus praesentium ex fundatione,  
vel dotatione, sive ex multiplicatis praesentationibus, per antiquissi-  
mum temporis usum probari debere. Universitas, & Communita-  
tes pleniorum, & exactiorum probationem facuras, ex praesumptio-  
ne, quae habetur contra illos. Non idoneos a Patronis praesentatos, Epis-  
copos repellere, eorumque examen ad ipsos spectare.

10. In decimo statuit Sancta Synodus, ut in Conciliis Provincia-  
libus, seu Diocesanis assignentur praeter Ordinarios aliqua persona,  
quibus Ecclesiastica, ac spiritualis causa delegari possint quoties, &  
ubi opus fuerit, ita ut unaquaque Diocesis quatuor saltem, aut etiam  
plures probatas personas habeat, & designatio facta transmittatur ad  
Papam ab ipsis Episcopis.

11. In undecimo ordinat, quod anticipatae solutiones in Ecclesia-



sticis locutionibus tollantur, & nullatenus validae intelligantur. Locationis vero rerum Ecclesiasticarum ad longum tempus, etiam auctoritate Apostolica confirmatas, Concilium irritas omnino decernit.

12. In duodecimo diffinit, decimas solvendas integras, sub poena excommunicationis contra eas impeditentes, detinentes, aut non solventes, & ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, non absolvendos.

13. In tertiodecimo disponit, quod quarta, quae funeralium dicitur, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiae persolvatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno, nuncupatis, aut aliis quibuscunque.

14. In quartodecimo severe indicit, Clericos concubinarios puniendos, post monitiones sibi factas, & huius criminis caulorum cognitionem ad Episcopos ipsos pertinere. Concubinato, Episcopos monendos a Synodo Provinciali, & non emendatos, suspendendos, per severantesque in eadem culpa ad Papam eorum causas deferendas, ut per privationem, si opus fuerit, in eos animadvertat.

15. In quintodecimo determinat, quod illegitimi Clericorum filii in Ecclesia, in qua eorum Patres beneficia obtinuerunt, ipsi non habeant, & quaecunque in fraudem huius decreti, canonicarumque sanctionum facta fuerint, irrita, & nulla censeantur.

16. In decimosexto statuit Sancta Synodus, beneficia Curata in simplicia converti non posse, etiam cum assignatione Vicarii perpetui, & quae in Curata redacta fuerint, postmortem Vicarii, vel Rectoris in antiquum statum restituenda.

17. In decimosextimo animadvertit, quod Episcopi dignitatem suam conservet, nec Principibus, vel Varonibus saecularibus in Ecclesia, & extra indecenti quadam demissione se gerant, aut loco ipsis cedant, aut personaliter illis inserviant.

18. In decimooctavo resolvit, Sacros Canones exacte ab omnibus observandos fore, nec, nisi urgenti causa, & illa cognita, circa ipsos dispensandum esse, aliter facta dispensatio subreptitia censeatur.

19. In decimonono praecipit, quod detestabilis duellorum usus penitus ex christiano Orbe exterminetur. Pugnantes, ac permittentes, sive qui eorum Patrimi vocantur, excommunicationis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, & ut homicidae puniri debeant, & si in ipso agone decellerint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura.

20. In vigesimo decernit, Ecclesiasticam libertatem, immunitatemque observandam esse, & contra eius violatores poenas statutas praesenti etiam decreto innovat.

21. In vigesimoprimum docet, quod in omnibus his decretis, tam sub Paulo III. ac Julio III. quam sub Pio IV. Pontificibus Maximis, in hoc Concilio conditis, salva semper sit Sedis Apostolicae auctoritas.

CONTINUATIO SESSIONIS SUB DIE 4. Decembris, septem exambiens decreta.

1. Versatur primam Decretum circa Indulgentias, ubi Sancta Synodus eos anathemate damnat, qui, aut inutiles esse Indulgentias asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem adhibere cupit.

2. Secundum hortatur ad observantiam eorum, quae in hoc, aliisque oecumenicis Conciliis statuta sunt, & praesertim quae ad frangendam carnis petulantiam conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia, vel etiam quae ad pietatem augendam faciunt, ut dierum festorum devota, & religiosa celebratio.

3. Tertium agit de Indice Librorum, & Catechismo, Breviario, & Missali, juxta ea, quae in secunda Sessione sub Pio IV. antea celebrata, decreverat.

4. Quartum declarat, quod ex loco assignato Oratoribus, tam Ecclesiasticis, quam saecularibus, infedendo, incedendo, aut quibuscunque aliis actibus, eorum iura illaesa, eodemque statu permaneant, prout ante praesens Concilium reperiebantur.

5. Quintum praecipit, decreta huius Sanctae Synodi recipi, observarique, cum in his Concilii Patres potissimum curaverint, ut praecipui Haereticorum nostri temporis errores damnarentur, & anathematizarentur.

6. Sextum statuit, quod cum plura decreta, pro temporum diversitate, tam sub Paulo III. quam sub Julio III. Pontificibus Summis fuerint in hoc Concilio condita, quoad dogmata, ac morum reformationem, nunc recitentur, & revera recitata fuere.

7. Septimum de fine imponendo, & Confirmatione Concilii petenda a Sanctissimo Domino nostro Pio IV. tunc universalis Ecclesiae Rectore, ac Governatore agit.

PATRUM ACCLAMATIO.

A Dhac Patrum acclamationes in calce Concilii, & singulorum Syngrapha, qui manu propria decretis Sacrosancti Concilii subscrip-



38. *In Tridentinum Concilium*  
 cripturunt, refert, quorum numerus fuit CCLV. videlicet, Legati 4.  
 Cardinales 2. Patriarchæ 3. Archi-Episcopi 25. Episcopi 168. Abba-  
 tes 7. Procuratores absentium cum legitimo mandato 39. Generales  
 Ordinum 7.

CONFIRMATIO CONCILII.

**T**andem Confirmationem Concilii per Sanctissimum Dominum  
 nostrum Pium IV. Pontificem Maximum operatam die Mercuri-  
 ii, quæ fuit vigesima sexta Mensis Januarii, anni 1564. compre-  
 hendit.

**IN SACROSANCTI OECUMENICI AC**  
**Generalis Tridentini Concilii præcipua Sessio-  
 num**  
**verba, complures sedulo ac exquisitè con-  
 cinnantur genuinæ Quæstiones.**

SESSIO PRIMA.

**S**uper primæ Sessio-  
 nis tituli verba, scilicet: *Decretum de inchoando*  
*Concilio, &c.* sequentes à Controversiis passim excitantur quæ-  
 stiones.

QUÆSTIONES.

1. **Q**UÆSTIO I. An congregare Sacrosanctum Oecumenicum, ac  
 Generale Concilium sit munus proprium Pontificis, aut Im-  
 peratoris? De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 7.*
2. **Q**UÆSTIO 2. An Concilium Generale Tridentinum sit supra Pa-  
 pam, aut Papa supra Concilium? De quo, *tom. 5. dist. 23. quæst. 8.*
3. **Q**UÆSTIO 3. An Concilium Tridentinum à SS. D. N. Pio Papæ  
 IV. legitime congregatum, confirmatumque potuerit errare? De quo,  
*tom. 3. dist. 23. quæst. 9.*
4. **Q**UÆSTIO 4. An Sacrosancti Generalis Tridentini Concilii autho-  
 ritas sit major, quàm sacræ Scripturæ? De quo, *tom. 3. dist. 23. q. 10.*
5. **Q**UÆSTIO 5. Cujus sit Generali Concilio Tridentino præsidere;  
 an Pontificis, utrùm verò Imperatoris? De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 11.*
6. **Q**UÆSTIO 6. An Episcopi, aliique Prælati in Tridentinâ Synodo  
 adstantes, verè Judicis, aut tantum Consilarii fuerint? De quo, *tom. 3.*  
*dist. 23. quæst. 12.*

Quæ

Academica Concertatio.

7. **Q**UÆSTIO 7. An Concilium Generale Tridentinum fuerit profi-  
 cium, & necessarium? De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 13.*

SESSIO SECUNDA.

**P**rimò, in verba illa hujus Sessio-  
 nis: *In Spiritu Sancto legitime*  
*congregata, &c.* possunt hæ congruentissimè exagitari quæstiones.

QUÆSTIONES.

1. **Q**UÆSTIO I. An Spiritus Sanctus Concilio legitime congrega-  
 to immediatè assistat? De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 14.*
2. **Q**UÆSTIO 2. An Concilium Tridentinum ritè congregatum,  
 confirmatumque à Sanctissimo Domino nostro Pio Papæ IV. errare  
 potuerit? De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 9.*
3. **Q**UÆSTIO 3. An Spiritui Sancto conveniat visibiliter mitti? De  
 quo, *tom. 1. dist. 15. quæst. 3.*
4. **Q**UÆSTIO 4. An effectus invisibilis missionis sit semper gratia ha-  
 bitualis? De quo, *tom. 1. dist. 15. quæst. 2.*
5. **SECUNDO**, super eloquia illa ejusdem Sessio-  
 nis: *Sacrosancta*  
*Tridentina Synodus statuit, & decernit, omnes & singulos Christi fide-*  
*les, in Civitate Tridentina congregatos, &c.* valent sequentes in dif-  
 cussionem adduci quæstiones.

QUÆSTIONES.

1. **Q**UÆSTIO I. An Concilio Generali Tridentino omnes Christi  
 fideles interesse debuerint? De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 7.*
2. **Q**UÆSTIO 2. Quot Episcopi & Prælati convenire debeant ad  
 Concilium, ut Generale dicatur? De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 16.*
3. **Q**UÆSTIO 3. An congregare Sacrosanctum Oecumenicum, &  
 Generale Concilium sit munus proprium Pontificis, aut Imperatoris?  
 De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 7.*
4. **Q**UÆSTIO 4. An Episcopi, aliique Prælati in Tridentinâ Synodo  
 adstantes, verè Judicis, aut tantum Consilarii fuerint? De quo, *tom.*  
*3. dist. 23. quæst. 12.*
5. **Q**UÆSTIO 5. Cujus sit Generali Concilio Tridentino præsidere;  
 an Pontificis, utrùm verò Imperatoris? De quo, *tom. 3. dist. 23. quæst. 11.*
6. **TERTIO**, in hæc verba: *Sacrificium Missæ quolibet saltem die*  
*Dominico, in quo Deus lucem condidit, & à mortuis resurrexit, &c.*  
 etiam non incongruè sequentes possunt promoveri quæstiones.

Tom. V.

Qq

QUÆ